Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

S. Francisci Xaverij vita
Horatij Turselini S. J.

6. Cordis munditier et castimonia. — pag.
7. Crucis, et Evangelicae paupertatis studium — pag.
8. Obedientia et Humilitas — pag.
9. Magnitudo animi, Divinaque fiducia. — pag.
10. Dei caritas et proximorum — pag.
11. Comitas gravitati iuncta — pag.
12. Prudentia et praecepta Goani Collegij Rectori et Gaspari Belgae tradita — pag.
13. Praecepta Joanni Bravio alijsque socijs data. pag.
14. Praepositos ac superiores Societatis quales requireret — pag.
15. Quales esse optaret homines è Societate. pag.
16. Concionatores Societatis quales expeteret. pag.
17. Confessarios Societatis quales effingeret. pag.
18. Cultores animorum quales optaret — pag.

Horatij Turselini
De vita Francisci Xaverij
Liber Primus
Praefatio.

Francisci Xaverij viri ad Indiae potissimum ultimique Orientis saluti nati, vitam omnibus sanctimoniae notis insignem memoriae prodere cogitatum est. Is quippe ex novem Ignatij Loyolae Parentis Nostri discipulis primus extitit Magistro simillimus: et in India, Japonia, alijsque Barbarorum regionibus, vel primus è Societate, vel plurimum laboravit, ut viam Indis in caelum, Societati in Indiam aperiret. Ita quo insigne

S. Francisci Xaverij vita.
Horatij Turselini. S.J.

Societati decus attulit qui illustre suis exemplum
reliquit. Quocirca pulcherrimam ejus in omni genere
virtutum effigiem nostris hominibus proponi jam diu
universa Societas haud immeritò expetebat. Quip-
pe cum illustribus majorum exemplis quaedam eg-re-
gijs viris flamma crescat in pectore, quae se sedari
non potest antè quàm praestantem illum virtute tan-
tum assecuti fuerint imitando. Equidem ejus praecipua
Xaverij facta aliorum historijs sanè magnificè
intexta: caeterùm aegrè admodum ferebam am-
plius XXXV annorum spatio neminem extitisse,
qui omnibus ornatam virtutibus vitam proprio
volumini mandandam curaret: tamquam amplam
ac frugiferam provinciam aut alteri demandaret,
aut sibi deposceret. Itaque nuper cum me et a-
micissimorum hominum sermo, et verò superio-
rum auctoritas ad hoc opus invitaret, haud
gravatè abnui, ratus posse me, quod posse exi-
stimarer: Feci igitur non modo non invitus,
verùm etiam libens, pro mea erga Xaverium
veneratione, ut succisivis operis tanti viri me-
moriam proderem posteris, efficeremque, si quo
modo possem, ut vir immortalitate dignus,
quem vivere jure credimus in coelo, in mea
eorumque scriptis, non tantùm in piorum
mentibus viveret. Ac mihi quidem non tam
humano quàm Divino consilio fieri videtur
ut laboriosissima ejus vitae ratio eo potissimum
tempore nostris hominibus exponeretur, cùm
in regionibus ab illo cultis maximos percipi fru-
geruidemus

ges eodemq animorum. Nuper quippe comperimus Japoniae Dynastas Regesq cum suis ferè populis ad Christi religionem traductos, ac in Sinas aditum quem Satanae calliditas undique septum atq obstructum tenebat, divinitus Evangelij praeconibus aliquando patefactum accepimus. Quod utrumq profecto secundum Deum Xaverio potissimum acceptum referre debemus, qui nostris hominibus non solùm ad illarum gentium conversionem sese praebuit ducem, sed etiam proclive ac facile id negotium tradidit. Hujus igitur ego vitam sanè variam atque multiplicem scribere aggredior, voluntate utique majore, quàm facultate, nec tam satisfaciendi spe, quàm studio obtemperandi. Caeterum simul Francisco deprecatore, cujus causa hic à me susceptus est labor, simul divinae obedientiae vi subnixus, futurum spero, ut et vires animo, et conatu expectationi hominum aliqua forsitan ex parte respondeant. Quod si eam quidem nequivero; illud certè assequar, ut meo hoc [illegible] studio ad idem opus studia excitem aliorum. Me quidem, utcunque erit, in nobis parisse optimo Parenti, et sanctissimi viri memoriae, quantum in me fuerit, consuluisse. Persuasum enim fortasse, ut posteritas intelligat, cujusmodi ex semente tanta in desertis Christianorum extiterit seges: illius viri novam [illegible] agricola, qui flens misit semina sua, retulerit cum exultatione manipulos suos. Etsi ante majoribus nostris

S. Francisci Xaverij vitae.
Horatij Tursellini L. 1.

nostris magis votis favit praeclara Francisci facinora factis exprimere quàm mandare litteris: ego tamen ex ijs quae extant, quaeque ad manus meas pervenerunt, duntaxat collegi certis comperta autoribus, qui scilicet aut viderant ipsi, aut ab ijs, qui viderant, acceperunt. Ac de prima eius aetate pueritiaque pauca quaedam exposui, quae ex Martino Azpilqueta Navarro homine cùm probitate tum doctrina inclyto, eodemque Xaverij cognato, atque olim familiari et aequali, paucis ante eius obitum mensibus ipse cognovi. Reliqua autem vitae facta familiares Francisci ipsius, primò quidem, cùm minus clara essent eius merita, negligentiùs observarunt: deinde verò ut illustrior esse coepit, accuratiùs Lusitani Regis imperio conquisita litteris prodiderunt. Inde factum est, ut non aequè omnes eius vitae partes virtutibus ac factis instructas haberemus. Nec dubito quin plerisque, qui P. N. Ignatij cognoverunt vitam, Xaverij tyrocinium, primaque illa efflorescentis virtutis opera, magna ex parte nota, minus iucunditatis probitura sint festinantibus ad illa, quae praeclarè gessit in India. Verum hoc meminisse oportet, et ex illo tyrocinio Xaverium tantum Christi extitisse militem, nec oportuisse eius facta, quamquam narrata alibi, iustis de causis reticere. Sed iam Francisci vitam ab eius genere, cuius permagna vis est in utramque partem, ordiamur.